Dug

Rach, C.

Marburg.

# MONSTRI CUIUSDAM RARIORIS DESCRIPTIO ANATOMICA.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS MARBURGENSIS

PRO

SUMMIS IN MEDICINA, CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA HONORIBUS

DIE XXIV MENSIS AUGUSTI ANNI MDCCCL.

RITE CAPESSENDIS

SCRIPSIT

CAROLUS HACH,

MARBURGENSIS.

MARBURGI CATTORUM.

TYPIS ELWERTI ACADEMICIS.

MDCCCL.

Inauguralem commentationem auspicaturo, ut quas vulgo praemittere de tirociniis et difficultate scribendi benevolentiae captationes solent, et quae sunt generis ejusdem, omittam, illud saltem paucis indicare in animo meo est, quodnam mihi consilium observatum fuerit, in ea potissimum scribendi materia eligenda, quam hac scriptiuncula eruditorum examini subjiciam. Etenim quum neutiquam novis utique totam in universum animalium evolutionem formis atque legibus circumscribere aut in conjecturas tantem de gravissimis hisce rebus abire liceat, vel illud haud supervacare videtur neque parum esse intentiore opera dignum, leges jamdum agnitas omni ex parte quam fieri possit, accuratissime illustrari et quanam ratione singulis quibusvis temporibus comparere soleant diligenter exquiri, qua re fieri non potest, quin magis in dies singula aut confirmentur aut nova iis inde hic illic lux afferatur. Hinc ita equidem monstrum hunccine describere agressus, prae ceteris, opinor, mira natura insignem, si paullum quid contulerim ad ejusmodi abnormitatum evolutionem accuratius cognoscendam ejusque leges denuo stabiliendas atque firmandas, operae pretium me fecisse putabo. De permultis barbarismis, quibus verba colore latino saepius certe parum ornata redundant, vix est, quod excusationes afferam, etenim non id mihi consilium fuit, ut Ciceroni placerem, ejusque aemulis, sed ut verbis simplicibus satisque perspicuis rem meam exponerem.

Nihil igitur jam superest, quam ut gratias agam, quam possum maximas, Professori **Fick**, viro clarissimo et experientissimo, qui pro sua humanitate et assueta comitate non solum hanc ipsam monstrositatem describere mihi permisit, verum etiam libros hanc materiam tractantes mecum communicavit.

Recipiatur igitur, iterum iterumque quaeso, hic libellus, studiorum primitiae, solo descriptionis nomine atque quum pauca tantum offerat, indulgentia benevolentiaque judicantium aliquid probetur.

Proxime nobis in describendo vitulo nostro, staturam ejus atque magnitudinem, qualis intuenti sese praebet, inspicientibus, multo brevior videtur esse, quippe cujus longitudo inde a capite usque ad finem oppositum circiter dimidio brevior sit quam maturi foetus. Quod haec longitudinis axis tantopere est curtata, inde effectum, quod columna vertebralis ita sursum est curvata, ut os occipitis et initium caudae sese tangant. Caput ipsum et extremitates non tam forma, magnitudine atque figuratione decedunt a recte figurati vituli, quam situ. Occiput enim ossa pelvis, necessario unacum columna vertebrarum retro et sursum decurvata attingit, quare quatuor extremitates in columna vertebrali jacent, inter thoracis latera sursum versa et ilei ossa inclusae; quatuorque pedes ita circa caput positi sunt, ut hoc amplectantur, quum anteriores extremitates, recte jacentes, pronus tantum juxta caput erectae sint, posteriores vero ita detortae atque juxta caput erectae cernantur, ut posterior ossis pars superiorem, anterior inferiorem efficiat, atque exterior femoris facies intus, interior vero extra sese vertat. Planta pedum, ceterum bene excultorum, sursum, superficies dorsualis deorsum directa.

Caput, cujus oculi atque aures etc. bene conformati videntur, et collum, cauda atque extremitates communi pelli badia tectae, quae tamen infra collum pone locum originis quatuor extremitatum tota circum margine distincto determinata, in densum atque pinguem transit textum cellulosum. Tunica illa cellulosa hic magis, illic minus internata adipe distincta totum posteriorem vitulum circumdat atque peritonaeum organa chylopoetica et urogenitalia, quae quidem, quatenus non aperte patent, qualia sint, facile possunt cognosci, circumtegit, reflexisque costis et ossibus pelvis annexa est. In membrana cellulosa, eademque media duo cernuntur funiculi illati, qui mox arteriae umbilicales ad unum funiculum non conjunctae, cognoscuntur. Illae ambo et vena umbilicalis, etiam separata, spatio digiti dimidiati velamentorum foetalium rudimentis induti, quae eo loco, quo funiculi umbilicales in peritonaeum inseruntur, statim in hoc transeunt. — Densius firmius atque pinguius factum peritonaeum in externa sinistrarum costarum superficie in pericardium et pleuram continuatur et densa membrana in hepar transit, serosum ejus indumentum formans. Quae organa, uti omnia cetera intestina, in cavum thoracis et abdominis non inclusa, neque nisi membranis serosis, ad ipsa pertinentibus, circumvelata ante oculos intuentis aperte patent. Inde quod velamenta ovi in peritonaeum et pleuram transeunt et intestina ipsa aperte patent, monstrum nostrum effectum esse ex impedita foetus evolutione, facile potest cognosci, qunm abdomen primo vitae embryonis tempore fissum usque ad horam partus nondum coiisset, atque ita omnia evenerint, quae ex illo aperte patendo oriuntur. Monstrum illud, quum nomine distincto significare atque in notorum systematum unum inserere velimus, primo inveniemus, vitulum exemplar perfectae fissionis thoracis et alvi, addita columnae vertebralis reflexione praebere. Sed accuratius singula systemata atque organa perscrutari debemus, si perfectam monstri imaginem nobis parare atque certa distribuendi momenta volumus statuere.

Quod attinet ad sceletum, cujus structura animum nostrum prae omnibus occupat, magnas cognoscimus enormitates, inprimis in columna vertebrali apertas.

Id, quod exspectavimus, capitis ossa magnitudinem eorum formam et figurationem spectantibus nullam abnormitatem offerunt. Cava ad recipienda sensuum organa destituta recto ordine sunt figurata neque palatum fissum, tam saepe cum fissione thoracis et ventri conjunctum cernitur, neque ulla alia deformitas in structura aut conjunctione singulorum ossium cranii et faciei. Articulatio et ossis occipitis cum prima vertebra colli, et singularum inter sese colli vertebrarum in nullis partibus a forma regulari abest. Hae, quarum exstat normalis numerus, nullam nobis formam respicientibus, deformationis notam praebent; processus diversos magnitudine forma et numero recte figuratos conspicimus; neque non totam columnae vertebrarum colli directionem in universum rectam nominare debemus, quum ad summum in ea levis sese reflectendi inclinatio possit animadverti.

Quum huc usque in sceleti figuratione, uti in universa vituli forma, nullius generis enormitatem, perspexerimus, ex qua evolutio turbata et impedita possit cognosci, a sterno deorsum versus series deformitatum, situum turbatorum etc. incipit, ita ut non in errorem incidamus, quum totum vitulum in duas partes dividimus, quarum superior normalis, inferior situm considerantibus in omnibus, figurationem vero in permultis organis magnas affert abnormitates. A columna vertebrali dorsi torsio atque inde sequens abnormitas ceterae ossium structurae incipit, sed ita quidem ut primae sex vertebrae paullulum tantum reflexae sint, inter quintam vero et sextam (vertebram) vera oriatur infrictio et reflexio, cujus angulus circiter rectus. Simul spondyli ita circa longitudinis axem conversi sunt, ut columna flexionem sigmoideam ostendat, cujus prior convexitas ad sinistram, altera ad dextram partem sese vertat. Inde a septima pectoris vertebra, scilicet loco inflexionis orthogeniae via columnae vertebralis recta, sursum adscendens, usque ad secundam vertebram lumbalem, ubi orthogenia reflexio repetitur, ita ut reliqua pars columnae pronus (ad caput) versa supra primam ejus partem et torsione ad longitudinis axim versus flectente plane non respecta, viam illi parallelam secuta procurrat.

Inde ab ultimae reflexionis loco via columnae vertebralis recta manet, usque ad ultimum caudae spondylum, qui igitur juxta os occipitis vituli locum tenet.

Quodsi in pectoris vertebris declinationes in universali ossium via cognoverimus, statim etiam enormitates, quamvis exiguae, in singularum vertebrarum forma occurrunt. Uti tota columna variis, quas habuit, inflexionibus longitudinis extensione prohibita est, atque ut ita dicam ejus fines propius admoti sunt, ita haud secius in processibus spinosis propius accedendi proclivitas perspicue cernitur. Incipit enim a prima thoracis vertebra coalitio processuum spinosorum, ita ut hi procedentem forment laminam, in qua initio (inter primos spondylos) singula etiam videri possint interstitia, prioris disjunctionis signa, quae tum continuo per vertebras lumbales et sacrales usque in caudam porrigitur. Altitudine tabulae inde a prima thoracis vertebra perpetuo decrescente, crassities augetur, atque via quam sequitur ita mutatur, ut ejus in interiore parte flexio ad rectam cernatur. Ceterum ex pectoris vertebris anomale quoddam cognosci nequit, et quamquam singulae adhuc difformitates occurrunt, hae tamen tam pauci momenti atque tam parvi cum universali deformationis charactere connexus sunt, ut vix memoratu dignae. Ita, ut exemplum proferam, processus transversus primae vertebrae lumbalis cum corpore horizontalem directionem non tenet, potius ei incubat; multorum processuum transversorum apices cartilaginibus inter sese conjuncti sunt, quare item ossificandi inclinationem ostendunt.

Partim consecutionem illius inflexionis jam descriptae in costis atque ossibus pelvis, (quasi) ad nexis columnae vertebralis, seriem mutationum occurrentem conspicimus, quae quum formationem cavi thoracis et alvi in ipsa ejus natura mutent, sive coercent, ita toti deformationi signum inprimunt.

Tantum abest ut costae subtus sese vertant, et utrimque cum sterno thoracis coalescentes, cavi thoracis parietes forment, ut sursum tali modo sint curvatae, ut in quaque earum parte sterni nondum in os transiti dimidium inhaerescat.

Ita fissio pectoris parietum locum habet, quae tamen (ab ulteriore parte sursum) usque ad primam tantum costam extenditur, hac utrimque ad manubrium sterni succrescente. Ut vero talis coalitio possit effici, duae primae costae lateris dextri (secunda vero rudimentum tantum est, quod a singulari vertebra ortum, mox cum prima costa coalescit) a ceteris costis sequentibus sejungantur, aliamque ac illae viam persequentes in laevam trans corpora vertebralia trajiciant erat necesse. Tali modo cum sterno et prima lateris dextri costa arcum formant apertum, cujus conclusio, id. e. manubrium sterni propter trajectas illas costas non pro mediis corporibus vertebralibus sed potius in laeviore parte jacet. Manubrium sterni ex tribus inaequalibus, cartilaginibus conjunctis, ossium partibus constat.

Quod igitur ad formam, figurationem atque collocationem costarum inter sese attinet, primae sex lateris dextri, illa, quam jamjam commemoravimus, difformitate primarum ambarum neglecta, satis normaliter figuratae, sequentes vero, quae cum septem separatis capitulis ex sex sequentibus vertebris oriuntur (nona et decima ab una vertebra) statim infra (aut potius, reflexione facta, supra) colla ad communem laminam osseam conjunguntur, quae quidem lamina in diversis sulcis singulorum interstitiorum intercostalium vestigia ostendit. In fine costarum peripherico, h. e. in margine laminae osseae inaequaliter figurata atque sulcata lamina cartilaginea locum habet atque facile in ea dimidium sterni cognosci potest. Etiam hic, ut in omnibus fere, quas observavimus, reflexionibus columnae vertebralis illa lex probatur, quod quum costae sursum sese vertant, statim coalitio earum in utraque aut certe in maxime curvata parte obvenit, et si in dextro nostri exemplaris latere factam videmus, hoc etiam maxime erat curvatum.

Sinistri lateris costae, quarum novem exstant excultae, duabus ultimis cum ternis capitulis ortis, universe recte figuratae sunt; quarum directio inprimis eo immutatur, quod omnes tractum primarum sequantur, aliter ac illae dextri lateris, ubi, id quod cognovimus, primae duae omnino sese abvulserant. Primae igitur sub multo acutiore angulo a columna vertebrali proficiscantur, necesse est, quam equentes. Haec flexio ita facta, ut interna et concava superficies costarum convexa fieret exterior, epetitur simili modo in ossibus pelvis, quae etiam cum columna vertebrali torta flectebantur, ita ut earum planities interior, in vitulo recte figurato pronus et deorsum spectans, sursum et extra flexa sit. — Coalitionis in symphysi ratio haberi non potest, quum ea labrum cartilagineum, in utraque parte in ossibus pubis haereat. — Aliae enormitates in pelvi, ex singulis ossium partibus, cartilaginea massa junctis, constante, cognosci non possunt.

Tali modo forma et structura sceleti sat satisque considerata, musculorum contemplatio paucum tantum novi et memoratu digni afferre potest, quippe quorum situs et crassitudo etc. omnino dependere videatur ab ossium structura. Uti ex ossibus extremitatum, capitis et colli, ita ex musculis illarum partium nulla cerni potest enormitas. Propter curvatam et abnorme figuratam columnam vertebralem etiam longi musculi dorsi, quanquam rectum habent numerum ubique deminuti sunt. Coalitio laminarum alvi, quum non obvenerit, et iidem alvi musculi desunt, et pro iis singulos habemus funiculos tendinosos et membranas in organorum alvi tegumentum cellulosum intextas. Ceterum quum interstitia intercostalia dextri lateris desint, et partim sint deminuta, musculos intercostales non adesse per se ipsum clarum. Inveniuntur laminis costarum incubantes aut inter costas extensae membranae tendinosae, quae partim fibrosae factae, rudimenta musculorum ostendunt.

Unus musculus inprimis dignus est, cujus mentionem faciamus, diaphragma. — Cum nonnullis carneosis dentationibus ex corporibus sextae et septimae vertebrae, scilicet ex loco reflexionis maximae, orta mox formam induit membranae latae et tendinosae, tertio etiam fasciculo infra illa crura et ab iis tecto oriente et cum primo sese conjungente. Crura diaphragmatis conjuncta trans columnam vertebralem in sinistram transeunt, ad superficiem sinistrarum costarum reflexarum adhaesitura. Cor involvunt atque pulmones cum adnexis in cavo pectoris existentibus organis, in pericardium et pleuram transeuntia sive potius eorum externam formantia superficiem; eodem modo musculus phrenicus, costas dextra in parte reflexas occupat, inde etiam in pleuram transitura. Diaphragma igitur, membrana fibrosa diversis fissuris transfossa, in posteriore columna vertebrali reflexa insidet, uti pileus, atque in utraque parte ossibus adhaerens, quamvis sceletum ossium non adsit, perfectam inter cavi pectoris et alvi organa divisionem efficit.

Praeter eas, quas jam descripsimus, commutationes in ossium structura nunc inprimis animum nostrum occupant intestina thoracis et abdominis, quorum situ, ex reflexione illa costarum pendente, totius monstri character essentialiter tenetur. Sunt vero ea, uti in hoc monstrorum ordine fieri solet, recti numeri, a norma vero, quoad figuram, structuram et situm valde decedunt. Quod jam supra commemoravimus et ex structura ossium per se ipsum elucet, omnia intestina aperte patent, quum pectoris et alvi cavum neque ossibus neque cute musculisque opertum sit.

Sub posteriore vituli fine, ex adversum caput, oesophagus ex tunica cellnlosa progreditur, in ventriculum transiturus. Supra eum lien et sub eo subpronus hepar jacet, ita ut utrumque organum ventriculum inter sese amplectatur. Pancreas, totum intestinum tenue cum mesenterio, in quo nonnulla inveniuntur anomalia diverticula, non minus aperte patent, atque supra eum magis ad caput versus flexurae coli cernuntur, quod peritonaeo perforato, in intestinum rectum transit.

Hoc firme in columna vertebrali jacens pronus inter fissa pelvis ossa percurrit atque coecum finit, quum quidem in regione caudae neque apertura, neque sphincter musculus animadverti possit. In dextra et sinistra ejus parte juxta finem corpus quoddam glandulosum (vesicula seminalis) per peritonaeum potest cognosci et in intestino recto inhaerens laciniosa aperta vesicula, rudimentum vesicae urinariae repraesentans.

Sub fine opposito, in loco maximae columnae vertebralis flexurae, praeter multa vasa per textum cellulosum manibus pertrectanda, glandulosum corpus majus cognoscitur in parte sinistra et paullulum in parte initii intestini recti, juxta majus atque extra hoc pertrectari potest corpus minore ambitu (renes et glandulae supra renales). In parte dextra adeps multitudine magna cumulata impedit, quominus subjacentes ei partes possint cognosci! In prona alvi parte pulmones atque cor non minus in lucem educta perspicimus, utroque organo paullulum in sinistram partem presso, corde in pericardium, quod in externa sinistrarum costarum parte inhaeret, pulmonibus in pleuram inclusis.

Ad monstri imaginem, quam nobis huc usque fecimus, perfecte adumbrandam, accurate etiam pectoris et alvi organa perscrutari debemus, quippe quibus, illa, quam jamjam descripsimus situs enormitate neglecta, quoad formam magnitudinem et structuram maxime praecipuae obtigerint modificationes, quae maxima ex parte intimo connexu cum ossium structura cohaerent. Rem facillime aptissimeque expositum iri credo, si cursum praeparationis in ea necessaria persecuturi fuerimus.

Primum quidem oesophagus, priusquam in ventriculum ingressus est, subligatus erat atque persecatus neque minus colon loco, quo in rectum transit. Ligamentis, processibus peritonaei etc. persecatis totus tubus alimentarius cum adnexis glandulis excipiebatur. Longitudinem intestini tenuis fecerunt triginta septem digiti et dimidius, intestini crassi sex et dimidius.

Uti vero in universum forma et structura ventriculi et tubi digestorii in paucissimis monstris plerumque nonnisi in acephalis magnas habet deformitates, ita etiam in monstro nostro nullae ventriculi et intestini tenuis potuerunt cognosci enormitates. Magnitudo et forma ventriculi erant rectae, valvulae diversae aderant, tunica mucosa, uti ceterae tunicae totius tubi recte conformatae; in intestino tenui tantum ad mesenterium adnectendo, enormitas quaedam quamvis minima neque cum ceterorum anomalium charactere distincte cohaerens, cernebatur. A diverticulo enim aliquo intestini tenuis separatus quidam saccus epiploicus dependebat. Praeterea mesenterium cum arteriis et venis recte perfecteque formatum erat.

Nullo vero adjumento intestinis ab alvi parietibus oblato, etiam processus peritonaei ad jungendum apti, inprimis mesenterium et ligamenta hepatis longissimi extensi sunt, organis cum omni ipsorum pondere in iis haerentibus. Hepar gravissimum omnium organum maxime procedebat atque uti fieri solet in fissionibus alvi, irregularem formam praebuit, magis rotundum et sphaericum quam planum sese offerrens. Huc accedebat, ut parvum, tuberosum esset, atque in plures lobulos divisum, quam in quos dividi solet in vitulo normale, quae quidem forma in antecedenti figurandi periodo occurrens, vitium primae formationis probat. Sub ejus superiore margine venarum hepaticarum truncus procedit, qui in regularem atrium dextrum finit. In anteriore superficie concaviore et prope sinistram quidem marginem vena umbilicalis a fronte incedit, ubi etiam vena portarum et arteria hepatica, propius tamen dextrae hepatis margini incedunt. Vesica fellea, quae in planitie posteriori, juxta inferiorem marginem posita est, magnitudine atque forma recte figurata. Ductus ejus circa inferiorem marginem in parte prona hepatis circuit, ubi cum ductu hepatico ad ductum choledochum communem sese conjungit, et uti fieri solet, in duodenum finit. In liene atque pancreate mutationes conspici non potueruut.

Si intestina, huc usque considerata, vix aliquid memoriae dignum offerebant, si mutationes in iis repertae directum cum ossium structura connexum habere non videbantur, considerata reliqua intestina hac in re uberiorem praebent fructum, quoque fere organo mutationes formae atque structurae passo, quae aut ad impedimentum mechanicum evolutionis, ab structura ossium dependens, reducendae sunt, aut certe cum hac distincto connexu cohaerent.

Omnia haec organa inde a pulmonibus usque ad finem recti conjuncta atque una cum parte quadam cutis perinaei desumta praeparabantur, ex qua praeparatione lex prodiit, ut organa, quo magis in adversum, ad pelvis finem versa posita sint, excepto, quem jam descripsimus, tubu alimentario, eo magis a regula decedant, ita quidem ut ab iis, quae pone vesicam jacebant, rudimenta tantum remanerent. Huc accessit, ut sive majorem sive minorem in modum omnes formae organorum figurationis reperiri possent, quae jam in similibus monstris animadversa sunt. Pulmones, uti apud fissiones pectoris cum costis curvatis fieri solet, multo minores, et iidem circa quatuor digitos longi. Lobuli tamen regulariter formati, per quos aër penetrare posset; per canylam, in asperam arteriam impositam, paucis lobulis exceptis, sufflari potuerunt atque colorem rubrum subalbicanum ostenderunt. — Etiam cor, in pericardium inclusum praeter magnitudinem exiguem nullam praebebat enormitatem. Ventriculi atque atria rectae magnitudinis atque numeri erant. Vasa oriebantur atque defluebant ordine, valvulae erant bene formatae.

Systema urogenitale, ut jam memoravimus, plerasque ostendebat enormitates, quum alia organa multo minora, alia omnino non adessent, aut inter sese conglutinata et concreta. Ambo renes, qui in posteriore vituli fine in utraque columnae vertebralis parte positi erant, mutatam formam habebant. Dexter major fere perfecte erat rotundus, in medio tamen habebat hilum, in quem arteriae ingrediebatur atque ex quo vena et ureter exgrediebantur. Ex capsula renali depromptus attrectabatur mollis

atque propriam renum structuram minime ostendit sed potius ex lienali parenchymatica substantia constabat. Ductus ejus (excretorius) pronus procurrit ad vesicam, non vero in hanc finit, sed vesicam seminalem aggressus in hac ad exitum coecum perductus est. In ejus externa parte atque funiculo celluloso cum eo conjunctus alter semirotundus corpusculus glandulosus locum habuit, ren succenturiatus, qui in universum structuram habuit renum atque propriam, ex aorta, supra arteriam renalem orientem arteriam accepit. Sinister ren, paulo inferior, atque magis in adversum positus, trientem vix illius conficiebat, magis autem formam renalem habebat et duritiem multo majorem quam alter; in parenchymate eius clarius etiam renum structura perspici poterat; accepit ille aliter ac fieri solet, arterias duas, quae juxta sese ex aorta oriebantur, una post alteram in hilum ingressura. — Ureter renis minoris ex rei natura minor erat quam majoris; omnis vero organum uropoeticorum constructio et character hoc in latere magis normalis erat, quam in dextro. Ita ureter, cum illo alterius partis convergens pronus procurrit ad vesicam atque juxta hanc inter eius tunicos progressus coecus finit. Loco renis succenturiati dextrae partis verrucosus quidam invenitur corpusculus, qui tenui pedunculo cum reni conjunctus est.

Quaecunque consideravimus huc usque intestina, quamvis varias offerant abnormitates, plus minusve tamen singula, uti cor, pulmones, tractus digestorius ad exercendas suas functiones apta fuissent, contra sequentium organorum structura talis est, quae nullo modo ad ullam functionem idonea fuisset, quaeque sola vivendi facultatem vitulo eripuisset. Uretri coeci finiebant, uti cognovimus, atque in loco ingrediendi in vesicam urinariam levis cicatrix est reperta. — Diversae vesicae urinariae tunicae aderant, ipsa parva, plana et sine ductu, urelhra paulo post initium coeca finiente.

Organa genitalia et externa et interna, id quod saepius in alvi et thoracis fissionibus observatur, imperfecte figurata. Ambo testes, qui ceterum nonnisi situ et cum reliquorum organorum genitalium conexu tales cognosci possunt, quum propria eorum forma structuraque omnino non adsint, latis membranis cellularibus ad unum corpus conjuncti. Ita planam glandulam trilobulatam formant, cujus ductus excretorius, vasa deferentia, inter sese parallelia pronus procurrentia, coeca in glandulas seminales finiunt. Hae et glandulae Cowperi et prostata non aliter ac rudimenta exstant, vesicula quidem seminali sinistrae partis, uti correspondente rene, quam dextrae minore. Penis, qui ex duobus ab ossibus ischii orientibus corporibus cavernosis constat, multo brevior justo neque extenditur ad regionem inguinalem, sed cum glande retro versus et paullulum reflexus (in modum chordae); quare nec praeputium nec scrotum exstant. In communi in omnibus monstris, in quibus talis deformatio genitalium aut defectus urethrae occurrunt, una ani defectum et caudam mancam invenimus. Cauda hic non manca, sed anus deficit. Tota pubis et perinaei regio tunica cellulosa conclusa et, quum rectum, organum unice adhuc inquirendum, dissecaverimus, coecum id et sine sphinctro in tunicam cellulosam finire inveniemus.

Jam vero omnibus systematis atque organis quatenus in iis abnormitates conspiciantur, accurate descriptis (— systemati vasorum, abnormitate jamjam descripta arteriae renalis neglecta nihil miri inesse videbatur —) satis dilucidam abortis nostri imaginem exprimere tentavimus, de genuina ejus et propria natura atque ratione affatim constabit, neque dubii haerebimus, cuinam potissimum is sit systemati tribuendus. Etenim singulorum organorum et forma atque structura et collocatio atque inter se conjunctio jam inferiorem statim et parum provectum evolutionis gradum olent. Nam et jecoris structura et parvuli renes et anus deficiens et intestinorum in universum forma, haec omnia eandem prorsus naturam ostendunt, qualis in priore vitae embryonalis periodo obtinere solet. Et prae ceteris ex fissione alvi et pectoris deficere cernitur naturalem vim atque vigorem, qui quum aliquamdiu suffecisset ad singula organa rite evolvenda, turbatus est repente et nescio quibus impedimentis obstructus cessavit.

Quod unde potuerit et quanam ratione effici sola anatomica praeparatione erui minime poterat, ita ut eam tantummodo nobis provinciam relictam videremus, formulas atque leges a viris doctis in singulis eiusmodi anomaliis observatis denuo formare.

Quod jam ante in ipsis organis describendis significavi, ubi pectoris fissio occurrit, plerumque cordis et pulmonum forma parum exculta est et monstrosa, quemadmodum itidem reflexarum costarum coalitio, anus deficiens et deformia organa genitalia conjuncta simul in ejusmodi monstris animadverti solent, unde necessario ducimur ad naturale aliquod systema statuendum. Quamquam quibusnam potissimum causis et quonam nexu singula haecce invicem inter se cohaereant, quippe quae non itidem atque defectus musculorum intercostalium et abdominis facile queant ad physicales leges reduci, hucusque eruditorum aciem fugit, unde novi quid de ejusmodi rebus ab hac nostra descriptione exspectari minime poterat.

Jam vero, ut ad certum denique nomen monstrum nostrum revocare conemus, secundum Gurltii systema a plerisque receptum inter simplicium est monstrorum tertium ordinem referendum, cui abnormis fissio corporis peculiaris est, atque ei quidem generi, quod *schistotomus* a Gurltio vocatur. Et ob contortam atque reflexam columnam vertebrarum monstrum nostrum *schistotomo reflexo* adscribere licet. Quodsi forte cui cetera quaedam, velut defectus anus etc. aliam definiendi rationem commendare videantur, is moneatur oportet, eas utique anomalias, quas ante memoravimus, summum prae ceteris locum tenere, quibuscum nonnisi aliae quaedam caeque minoris momenti mutationes conjunctae reperiantur, quemadmodum semper id et ubique occurrere solet.

## Explicatio figurae I.

*a.* Cor in pericardium inclusum.
*b.* Hepar.
*c.* Vena umbilicalis.
*d.* Lamina costarum reflexarum.
*e.* Intestinum rectum.
*f.* Renes.
*g.* Lien.
*h.* Ventriculus.
*i.* Intestinum crassum.
*k.* Intestinum tenue.
*l.* Arteriae umbilicales non conjunctae.
*m.* Glandula seminalis.

# Theses.

I.

Cura symptomatica non prorsus rejicienda.

II.

Medicinae historia medicus carere nequit.

III.

Foetus vivus semper perforationis contraindicatio.

IV.

Oleum jecoris Aselli, in scrophulosi adhibita, non nisi tamquam nutrimentum agit.

V.

Febris intermittens in iis solis regionibus invenitur, in quibus Malaria.


VI.

Laryngotomia in angina membranacea non est instituenda.

Tab. I.



Tab. II.



Postea tuarum thesium, quae inscripta est: "foetus q[...] mi offerat.

F Permissio medico concedenda est perforandi, in parte, in qua vita foetus, cum capite in pelvis aperturam ingressus, cognota est, quum mater haemorrhagia sive alia affectione usque ad mortem exhausta, in eum statum pervenit, ut operationem cum forcipe, qua foetus ex caede eriperetur, non sufficeret. —

[Primum et praestantissimum — curare debemus.

Omissis omnibus disputationibus de indicatione et de conditionibus diagnosticis ab hominibus doctis instituti, exemplum tibi proferam: Caput foetus in pelvi iusto angustiore, cuius diameter maximus duos digitos et dimidium habet, incuneatum reperimus, dolores ad partum semper minus efficaces, et quum forcipem adhibeamus, propter angustum pelvis aditum operationes nostrae in irritum cadunt, dum mater ad agendum nos cogit. —

(Si caput — foetum vivum in mortuum transire)

Quum vero medicus quidem statutum habet cum animo, ut certis rationibus sit institutum et partariens sive iuxta propinqui sub conditione nulla operationem illam adesse comprobant, quid tunc facere velis? —